

TURRIS EBURNEA IN PALATIO SALOMONIS, cuius valet  
*ALBEDO, LAEVIGATUS NITOR, DURITIES,*

seu ut clarius loqvar,  
*VIRTUS, EXISTIMATIO, JUSTITIA;*  
TURRIS IN MONTE LIBANO VERSUS DAMASCUM spe-  
culatoria, cuius agnoscitur

*SUBLIMITAS, SITUS COMMODITAS,*  
*SECURITAS,*  
seu quod sub his signis delitescit

*AUTORITAS, DEXTERITAS, PRUDENTIA.*

Tandem *MAUCKIUS* indignum ratus in Gymnasio id ne-  
gligere, quod Scholam maxime spectat, *TURRICULAM* laudabit  
*SCHOLASTICAM*, cuius Campana singulis diebus in hanc Virtutis  
& eruditionis officinam nos convocare solet. Hæc autem campanu-  
la tribus modis esse potest commendatissima, quippe 1. sonitu suo nos  
invitat in hoc literaturæ sacrarium. 2. signum dat, quoties in templo  
finitur concio. 3. antequam in hac turricula locum inveniret, suspen-  
sa fuit in templo SS. Trinitatis: fracta enim, nescio quo casu, priori  
campanula 1620, quod in morâ periculum esset, inde subito deprome-  
batur, quæ singulis diebus esset necessaria, nec fusoris tardio rem ope-  
ram expectare vellet.

Sic felicem clausulam imponent Epilogi, votis hæctenus effusis  
symbolum quàm devotissimum adjecturi.

Nunc reliquum est, ut præcipuum Exercitii decus accedat à be-  
nignitate Patronorum, Fautorum & Amicorum, quos huc usq; de-  
prehendimus in provehendis & excitandis Juvenum studiis promptos  
& liberales. Ut igitur honorificâ suâ præsentia quantum nobis tribu-  
ant, quantum ipsi Patriæ cupiant, quantum Nobilissimum *CONSUL-  
LEM* velint esse salvum, demonstrent, decenter rogamus, daturi ope-  
ram, ne quem promptitudinis ac benignitatis pœniteat.

*DEUS* interim, cuius nutu *HARTIGIUS* lampada tradidit *GI-  
RISIO*, ut Hic pari felicitate successorem nanciscatur *STOLLIUM*,  
clementissime concedat, ac imprimis pacem & tranquillitatem  
*DOMUI SAXONICÆ* longis abhinc annis familiarem,  
porro jubeat esse perpetuam. *P.P. è Gymnasio Zittaviensi*

*Dom. XVIII. post Trinit. M DC XCII.*

